

nec opus haberent voluminis grandioris describendi subire tædia. Grata verò hæc brevitatis, ut iis, qui experimentis ipsis Spectatores & rationibus allatis Auditores attenti interfuerant, obscuritatis nihil, compendii multum afferre; ita sufficere Lectoribus aliis, quibus eorum nihil antè vel videre vel audire contigisset, vix poterat: Et quia tamen conceptam semel Phenomenorum & Conclusionum formam penitus immutare aliamq; & novam iis induere volupe haut erat, brevitatis illum defectum per Auctaria sub opusculi calcem adjecta supplere connisi sumus in gratiam Lectorum nostrorum. Hac alterâ vice verò, cum sub ipsum statim principium concipiendorum novorum Tentaminum non Auditorum solum, sed Lectorum etiam nostrorum expectationi satisfacere propositum nobis, ac præterea integrum adhuc esset consultiusq; visum, ea omnia, quæ ad rem unamquamq; distinctè satis clareq; exponendam facere videbantur, uno eodemq; loco potius & orationis filo continuo, quàm per intervalla sparsimq;, tradere; factum inde, ut Pars hæc secunda Collegii experimentalis Auctaria quidem nulla, experimenta verò ipsa & Conclusiones haberet diffusiore paulò stylo & majore verborum prolixitate conceptas.

Alterum spectat Epistolam ad HENRICUM MORUM auctariorum loco Tentaminibus in fine subjectam, nec inutiliter, spero, nec inconvenienter. Cum enim in plerisq; tum prioris, tum posterioris hujus partis Tentaminibus hypothesin de aëris virtute elastica ejusdemq; & fluidorum elementarium generatim omnium gravitatione, vel confirmare vel ad effectuum rationes reddendas adhibere consuevissemus, ea verò, alias tantum non universaliter inter Philosophos recepta, ex paucis suis Adversariis non alium habeat, qui ad labefactandam ipsam aut penitus evertendam plus
):():(3 studii